nisi iudicante legibus constitutis gladio non utitur nisi spirituali.
Item papa Siricius: Quicumque post uxorem absque lege
et sine causa dimiserit aliamque duxerit armis depositis publicam
agat poenitentiam et si contumax extiterit anathematizetur. Quibus consentiat d xxxv

De votis insipientium. Votum est
testificatio quaedam promissionis spontaneae quae Deo et de
his quae Dei sunt fieri debent. Sunt tamen vota stultorum quae
frangenda sunt.

Sciendum vero quod votum aliud commune, aliud singulare. Commune
ut illud quod omnes in baptismo faciunt, cum promittunt abre-
nuntiare diabolo et pompis eius. Singulare ut cum aliquis sponte promittit
servare continentiam vel aliquid huiusmodi. Item singulare votum aliud
privatum, aliud sollempne. Privatum in abscondito factum. Sollempne
in conspectu ecclesiae factum. Item privatum votum si violatur peccatum
mortale est. Sollempne non violare peccatum est et scandalum. Qui
privatum votum faciunt continentiae matrimonio contrahere non debent, quia
contrahendo mortaliter peccant. Si tamen contraxerint non separentur, quia
probari non potest quod occulte est actum. Qui vero sollempniter vovent
continentiam quicumque inire quaerunt, quibus non solum nubere sed velle
dampnabile est. Unde Augustinus ad Julianam de bono viduitatis: Pro coniugali
vinculo si pudicitia servaretur dampnatio non timeretur. Sed pro viduali
continentia et virginali excellentia, quae maioris muneris amplioris expetitur,
quae expetita et electa et voto oblata, iam non solum capessere
nuptias, sed etiam si non nubat, nubere velle dampnabile est.
Voventibus enim virginitatem vel viduitatem non solum nubere sed
etiam velle dampnabile est. Quod apostolus ostendit Thymotheo